



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz


Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LXV. Rerum Amotarum, Ubi Uxor clàm ex relictis Bonis Mariti aliquæ
subtraxit, ad compensanda Obsequia sua, quorum Remunerationem
Maritus sœpe promiserat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

Pactum non facit ex utraque parte onerosum. Aliud nihil restat, quod suspicione Simoniae faciat. Ergo. Addo etiam, quia Decisio Casus in Partem benignorem solum facta est ex Præsumptionibus, consultum fore, si exquiratur mens Collatricis, qua scilicet mente, & an Promissionem Gratiitudinis imposuerit, non Collatura Beneficium, nisi haec præstaretur; tum enim ipsa absque dubio Simoniam commisisset saltem

materiale, utpote intercedente Pacto ex utraque Parte rigoroso. Consultissimum autem erit impetrare ab ea Syngrapham propria manu subscriptam à Titio, & substituite, si necessarium sit, aliam, quæ hujusmodi Promissionem nullam contineat.



CONSILIO LXXV.

In Causa Rerum amotarum à Noverca.

S U M M A R I U M.

1. Facti Species.
2. Propositum, Pollicitatio, Promissio, Stipulatio, Donatio, quomodo differant.
3. Donatio, & Promissio, duplex.
4. Donatio mortis causa, vel inter Vivos: Remuneratoria, vel mere Liberalis.
5. 6. Deciditur male subtracta esse, qua pro missa erant.
7. Reus legitimè interrogatus tenetur Veritatem fateri.
8. Secus si non interrogetur legitimè.
9. In quo Casu liceat uti Amphibologia.
10. Uxor non tenetur fateri, se ex rebus Matriti aliquid amovisse, nisi Jūdex quarat ex sufficientibus Indiciis.
11. Res aliena, qua bona fide possidetur, bona Conscientia retinetur: Secus si mala fide.
12. Qui bona fide consumpsit rem alienam, non tenetur ad restitutionem, nisi sit factus diutor.
13. Deciditur Causa.

FACTI SPECIES.

I.



Ajus homo locuples, mortua prima Uxore, ex qua suscepit quinque Liberos, transit ad secunda Vota, & in Matrimonium dicit Liviam. Cum hac pacifice plurimos annos vivit, & illa eidem studiose inservit, sed Prolem ex eo non suscipit. Caius, clm estimaret Uxor's servitia, sspē eidem promittit, præterim cū liberalius perpotasset, se honestam illi in Testamento Portionem relieturum in Remunerationem Obsequiorum, Amoris & Fidelitatis. Verum ille morte præventus moritur intestatus. Livia, quia colligere ex verbis Caji sspīus repetitis potuit, Donationem, vel Legatum, si Testamentum potuisset Maritus condere, ascensurum fuisse ad mille, & amplius Florenos, clam subtrahit quingentos, modestam se pro spe sua concepta adhuc existimans: his addit Supellecilia quedam, valorem centum aliorum Florenorum æquantia: ultima ista Subtractione innouit Filii; igitur causa com-

muni facta, convenient illam coram Jūdice de Rebus amotis. Subtractionem Supelleciliū negare non potuit, quia in oculis Filiorum erat. Imponitur ergo illi à Jūdice Juramentum, an nihil aliud amovisset, & illa credens se Jure possidere quingentos memoratos Florenos, jurat præter dictam Supelleciliū nihil se habere, subintelligens sine bono Titulo. Tandem Sententia pro ipso fertur à Jūdice: sed Liberi non acquiescentes Sententia, appellant ad Judicem Superiorē, qui iterum cognoscit Causam, & latā adversus Liviā Sententiā eam ad Expensas condemnat, simūlque ad restituendam Supelleciliū subtractionem. Expensæ communes pro Lite ista ascederant ad quingentos Florenos, & has Livia solvit integras pro se nempe, & Filiis.

QUÆRITUR I.

An Jure subtrahere, & retinere Livia posuerit quingentos iros Florenos?

Solutio hujus Questionis plurimum pendet, an verba illa Caji toties repetita ad Uxorem Liviā vim habuerint Donationis, Prænotandas.

R.P.Schmalzgrueber Conf. Tom.I.

2.

Rxx
an tan-

an tantum propositi, & simplicis Promissio-
nis. Unde prius explicandi sunt Terminii
istorum, & discrimen, quo inter se differunt
Propositum, Pollicitatio, Promissio, Stipula-
tio, Donatio. Propositum simplex,

ut Laym. l. 3. tr. 4. c. 12. n. 1. ex com-
muni Doctorum mente describit,
est deliberata Voluntas dandi aliquid alteri,
& agendi in alterius gratiam. Hæc Obliga-
tionem non parit,
ut constat ex c. Literaturam, de
Votis.

Et Ratio est; quia per simplex propositum is, qui hoc facit, non vult se specialiter obligare; Actus autem valent ex intentione agentis. Promissio gratuita præter Propositum dandi, vel agendi,

teste S. Thoma 2. 2. quæst. 88. A.

I. C.

addit deliberatam Voluntatem alicui de-
nuntiatam se gratis obligandi ad præstan-
dum quidpiam, si ipsi acceptum sit, v. g.
promitto me donaturum, mutuaturum &c.
Et hæc Voluntas quidem, antequam accep-
tetur ab eo, cui facta Promissio est, dici-
tur Pollicitatio; si Acceptatio sit consecuta,
simpliciter Promissio appellatur. Fit
autem Stipulatio, seu stipulata Promissio,
si fiat utrinque cum certa verborum for-
mula, scilicet, ut interroget unus, re-
spondeat alter. Donatio denique est
Doni Datio. Differt à Promissione; quia
Promissio non transfert Dominium rei
promissa in eum, cui res promittitur;
Donatio vero facta cum reali Traditione,
transfert Dominium. Dixi, facta
reali Traditione; nam Donatio facta si-
ne reali Traditione, cum sola verbali,
non transfert Dominium, ita disponente
Jure positivo. Atque hinc

3. Not. 2. Donationem,
ut bene advertit Gomez de Donat.
c. 4. n. 1.

dupliciter fieri posse; scilicet Traditione
rei, cum nulla præcedente Promissione,
vel Obligatione quis tradit rem suam al-
teri causâ Donationis: & hæc est Dona-
tio realis, & perfecta. Et sine Tra-
ditione reali per solam Verbalem, eum
quis se obligat alteri ex Causa Donatio-
nis dare, vel tradere rem aliquam: &
hæc appellatur Donatio Verbalis, &
imperfecta. Utraque Donatio ista per
se, & ex natura sua sufficiens est ad
transferendum Dominium, secunda tamen,
seu verbalis, ex dispositione Juris impe-
ditur, ne Dominium transferat, nisi se-
cuta reali Traditione. Unde, si antequam
tradatur res, donans rem illam donet,
vel vendat alteri, & simul eandem tra-
dit, prior Donatarius rem vindicare non
potest amplius, sed tantum competit ipsi
Jus, seu Actio personalis contra Dona-
torem ad rei estimationem. Et hinc Do-

natio verbalis quoad effectum, quem ex
Dispositione Juris nunc habet, parum di-
stinguitur à Promissione propriè dicta;
quia etiam hæc tantum tribuit Jus perso-
nale adversus Promittentem, non vero
reale in rem promissam. Dixi, à Pro-
missione propriè dicta; nam etiam Pro-
missio duplex fieri potest, scilicet pro-
priè dicta, & impropriè dicta. Hæc
tum fit, cum intentio Promittentis solum
est ad obligandum se ex virtute fidelita-
tis, aut veracitatis, & per se loquendo
solum obligat sub veniali. Illa tunc fit,
cum promittens se vult obligare ex Ju-
stitia, & ita, ut alteri Promissionem
ejusmodi acceptanti acquiratur Jus, sal-
tem in Foro Conscientiae, ad exigendam
rem promissam tanquam vere debitam;
& talis Promissio ex genere suo obligat
sub mortali. In dubio, an qui assevera-
vit se daturum aliquid alteri, vel factu-
rum, habuerit animum promittendi vere,
atque ex Justitia se obligandi, ex verbis,
& circumstantiis colligi debet. Si quis di-
cat, Ego faciam, vel ego dabo tibi hoc, vel
illud, communiter solum est propositum sim-
plex, quia his verbis communiter significare
solum volumus voluntatem faciendi. At si
quis dicat, Ego promitto me hoc facturum,
communiter innuitur Promissio, quamvis
sæpè etiam fiat, ut his verbis significare
velimus animi propositum, vel si veram
Promissionem, non tamen semper obligato-
riam: Unde si verba sint dubia, at-
tendum erit ad alias Circumstan-
tias.

Not. 3. Dupliciter adhuc Donationem
apud Legistas, & Canonistas distingui;
nam alia est Donatio inter Vivos, alia Donatio
mortis causâ. Donatio mortis causâ, ut
eam describit

Lugo D. 24. s. 24. n. 318.
est, qua traditur, vel promittitur ali-
quid, ut donantis morte lecuta ante mor-
tem Donatarii, fiat res illa irrevocabili-
ter ejus, cui donatur, cum deambulatoria
voluntate Donantis, ut possit Donatio-
nem revocare libere usque ad mortem
suum. Unde fit, ut quādiū donans vi-
vis, nullum habeat Jus Donatarius, neque
reale, neque personale, sed Donatio hæc
confirmatur sola Donantis morte, qua eveni-
ente statim transfertur Dominium, etsi verbis
tantum sit facta Donatio, & non Traditione
rei, & consequenter Donatario competit in
rem Actio adversus Hæredem, vel jacenti
Hæreditatis quemcunque Possessorem, uti
constat ex

L. I. c. 2. ff. de Publiciana in rem actio-
ne, juncta Gloss. & doceat Gomez, Co-
var. Mol. Laym. &c.

Ratio est, quia per mortem Donantis fit Do-
minus rei, sed Dominus competit in rem A-
ctio. Ergo. Ut Donatio hæc mortis causâ
sit valida, specialiter statutum est,

L. ult.

L. ult. C. de donat. mort. caus.
ut ad Solemnitatem, & valorem Donationis, adhibeantur quinque Testes, vel tres cum Tabellione: quod nisi fiat, ex Dispositio-
ne Juris Donatio non subsistit. Donatio
inter vivos est, qua Donans statim dat Jus
Donatario, si is Donationem acceptet, &
quidem si statim fiat Traditio, acquiritur
Dominium, & Jus reale; si Traditio non
fiat, nisi Donatio irrita sit, acquiritur Jus
personale. Hæc Donatio iterum duplex est,
Remuneratoria, & mere Liberalis. Dona-
tio Remuneratoria, ut

Pal. D. 2. de Just. p. 23. n. 1.

notat, exigit, ut Donans in ea præstanda
moveatur ob gratificanda obsequia sibi à Do-
natario præfita; Donatio pure Liberalis,
quamvis attendere possit ad merita Donata-
rii, tamen ista pro motivo non habet, sed
puram Liberalitatem. Donations pure li-
berales, si majoris momenti sint, prohiben-
tur Jure Conjugibus, & irrita sunt, nisi con-
firmentur morte donantis. Remuneratoria
autem valent, ut colligitur

*ex l. quod autem. i. §. si vir. ff. de donat. in-
ter Virum, & Uxorem.*

Et ratio est; quod non sint propriæ, & sim-
pliciter dicta Donatio, sed quasi Compen-
satio, seu debiti Retributio. Unde æqui-
pollere merito debent, quod, ut bene Pal.
n. 5. notat, arbitrio prudentum est relinquendū,
qui considerata Conditione Donantis,
Donatarii, & Obsequiorum, æstimabunt,
an æquipollent, vel excedant; certum enim
est, Nobiles solere liberalius remunerari
Obsequia. Dixi autem, nisi morte confir-
mentur, nam etiæ Donations inter Vivos
invalidæ sunt inter Conjuges, tamen morte
Donantis confirmari possunt, ut Leges sta-
tuunt, & tradunt omnes Juris Consulti. Ut
vero morte Donantis confirmantur, requiri-
tur, ut Rei donata Traditio antecederit,
ut habetur

*L. Papinianus. ff. de donat. inter Vir. &
Uxor.*

Et docent omnes ferē Doctores. Potest
autem Traditio hæc esse vera, vel ficta. Ve-
ra Traditio est, quando Rei donata posse-
ficio in Donatarium actu transfertur; ficta,
ut si Maritus donet aliquid Uxori, & dicat,
se rem illam possidere precariō nomine U-
xor, vel si Uxor debeat Marito centum,
& hic animo donandi remittat debitum; nam
ista Liberatio habet vim Traditionis.

*I. cum hic stat. §. si Sponsus. ff. de donat.
inter Vir. & Uxor.*

præter Traditionem per se loquendo, & in
Foro Conscientiae, ut ejusmodi Donationes
morte Donantis convalescant, non re-
quiruntur aliae Solenitates ad valorem, quam-
vis enim quadammodo sic confirmata ad na-
turam ultimæ Voluntatis accedant, magis ta-
men retinent naturam, & proprietatem Pa-
triæ, & Donationis. Unde in Conscientiae
Foro tutus erit Donatarius, quamvis nulla

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

probatione munitus, si sciat, aut credat De-
functum habuisse animum donandi. In Fo-
ro externo requiruntur duo Testes, vel
aliud probationis genus, ne res donata ab
Hæreditibus evinci possit.

His notatis inquirendum, quali Titulo ex
his Donationibus excusari factum Livia pos-
sit? Excusari poterit, si Promissio illa Ca-
ji toties serio, ut ponitur, animo repetita
vix Donationis validæ, & legitime habe-
at. Sed de hoc ipso difficultas est; nam
certum est 1. Non valere Promissionem
illam per modum Donationis mortis causâ,
quia deerant Testes, qui ad Substantiam &
valorem Donationis mortis causâ, ut supra
diximus, requiruntur. 2. Non valere
per modum Donationis mere liberalis inter
Vivos; quia hæc invalidæ sunt inter Conju-
ges. 3. Æquè videtur certum, si fuisse
Donatio inter Vivos mere liberalis, non po-
tuisse per mortem Mariti confirmari; nam
ut confirmetur per mortem Donantis Do-
natio inter Vivos, requiritur, ut facta sit
Traditio Rei, quod tamen factum non fu-
it in Calu nostro, nec fieri potuit; cum
nullius rei determinata sit facta Promissio.
Unde si Promissio Caji valuit ut Donatio,
nullo alio titulo valere potuit, nisi ut Do-
natio remuneratoria. Sed an hoc Titulo va-
luerint verba illa, non levis est difficultas.
Pro Livia militant 1. Amor utriusque
confitans, qui signum est, si quam Dia-
tionem voluerit Caju facere, nunquam fu-
isse ab hoc illam revocatam. 2. Servitia
Livia fideliter exhibita Cajo, & ab hoc agni-
ta, tanquam digna valde liberali Remune-
ratione: unde creditur, quod Caju in-
donata noluerit esse. 3. Repetita toties
Promissio, quæ non alium, quam seruum
animum videntur probare: Unde cum
uti

*Sanchez. l. 6. de Matrim. D. 14. N.
1. ex C. Majores. de Baptif. & l. Sanc-
tus. C. de Testam.*

advertisit, in eadem voluntate præsumatur
aliquis mori, quam vivus habuit, nisi appa-
reat contrarium voluisse, illam voluntatem
præsumi potest habuisse Caju etiam in mor-
te sua, ac proinde idem videtur esse, ac si
in Testamento ea Donatio relicta esset. Con-
tra Liviam vero militat 1. Quia dubium
valde est, an non verbâ illa tantum fuerint
propositum aliquod simplex, & nudum,
quo voluerit quidem Caju in Testamento
meminisse Uxor suæ, quin tamen illa ver-
ba voluerit valere in modum Donationis:
quod si verum esset, indubitate male egis-
set Livia pecunias illas subtrahendo, nam
propositum alterius, quo indicat, se mihi
velle donare aliquid, nullum mihi Jus tri-
buit neque reale, neque personale. Igitur
Livia, dum quingentos illos Florenos acce-
pit, rem alienam accepit, sicque per se lo-
quendo ad restitutionem tenebitur. 2.
Contra Liviam militat, an merita Livia tan-
ta fue-

R. 111 2

ta fue-

ta fuerint, ut quingenti Floreni habuerint rationem Donationis remuneratoria non excedentis; certum enim est ex una parte, quod si Donatio remuneratoria non aequipolleat meritis, sed multum excedat ista, secundum excessum haberi debeat pro merita liberali Donatione; ex altera vero parte constat multa Obsequia deberi Marito a Conjuge, an vero tam extraordinaria illa fuerint, ut Remunerationem tantam commerterentur, merito dubitari potest, cum inter plebejos Uxor sit pene Ancilla Mariti, & sic pauca omnino sint Obsequia, qua non debebantur Marito ab Uxore. 3. Contra Liviā etiam pugnat Præsumptio de voluntate Hætendum; neque enim credi possunt Hætendes contenti, si scivissent Pecunias has amotas, qui pro Supellectibus pretium centum Florenorum solum habentibus tam acriter pugnarent, ut item adeo pretiosam intenderint Liviā. Unde fit, consideratis omnibus, Liviā Causam admodum dubiam esse: atque hinc ad propositam Questionem respondeo, &

6.
Resolvitur
Questio.

DICENDUM puto, per se loquendo male egisse Liviā; dum Pecunias istas subtraxit; nam in dubio melior est Conditio Possidentis: Atqui à morte Mariti Possessores jam erant Filii, Succedentes ab intestato, in quorum præjudicium Subtractio ista facta est. Ergo. Neque illam sufficienter excusant Rationes pro ipsa adductæ: non 1. Amor utriusque constans; nam Amor iste Donationem actu factam non probat, sed propositum legandi Portionem honestam, si condere Caius Testamentum potuisse. Atqui plurimum interest inter actualem Donationem, & inter propositum simplex donandi, ut dictum est. Ergo. &c. 2. Etiam illam non excusant sufficienter Servitia, & Obsequia etiam a Marito agnita tanquam digna liberali Remuneratione; nam quod hæc agnoverit, non probat, quod actu Summam talen illi dare voluerit, & si dare illam, vel maiorem etiam voluisse, ut Circumstantiae Causis indicant, non actu dedit per verba illa, sed proposuit sibi solum datum per Testamentum. 3. Præsumi potest mansisse Cajum in voluntate, quam prius habuit etiam in morte, sed probare Livia non potest, quod Cajus habuerit unquam voluntatem donandi de præsenti, sed solum includendi illam in Testamento. Manet ergo non adesse sufficiens caput aliquid, ob quod à peccato mortali in hac sua subtractione excusat Liviā, sed eam per se loquendo graviter peccasse, nec potuisse dictam Summam retinere. Dixi autem, per se loquendo; potuit enim 1. Excusari bona fide, quam etiam ex Circumstantiis Casus videtur habuisse. 2. Si Dotem Marito attulit, cum hæc à morte Mariti debeat restituī Uxori, nisi alia in Contractu Matri-

monii Conventio facta sit, potuit ipsa illam sibi repeteret, vel si non nisi difficulter, & magnis expensis eam obtinere potuisse, facere sibi compensationem occulam. 3. Estimare obsequia sua extraordinaria potuit, & re cum prudenti Viro communicata, pro hujus estimatione pretium petere, vel sumere; si enim Ancilla Remuneratio Obsequiorum indebitorum debetur, quare non Uxori etiam?

QUÆRITUR II.

An jurare potuerit Liviā, se nihil aliud subtraxisse?

Solutio hujus Questionis ex duabus pendet dubiis. 1. An, & quando tenetur Reus respondere Judici interroganti? 2. Utrum, cum Judici respondet, & Juramentum apud ipsum deponit, possit utrue restrictione, aut verbis aequivoceis?

DICENDUM 1. Quando Reus a suo Judice, & Juridice interrogatur, per se loquendo tenetur veritatem dicere, & eam occultare ex genere suo, est peccatum mortale, licet plesterius sit capite. Ita Less. l. 2. de Just. c. 31. Dub. 3. n. 12.

Sanchez. l. 3. c. 7. n. 1. Bonac. De tal. D. 4. q. 1. p. 12. n. 7. Pal. de Furam. D. 1. p. 7. n. 1. & apud hos Div. Thom. Cajet. Henr. Pallud. Gabr. Sot. Navarr. Covar. Gomez. &c. que teste Less. Communior DD.

Ratio est, quia quisque tenetur obedire Superiori legitimè præcipienti: atqui Superior legitimè præcipit, quando Juridice, & secundum Ordinem Juris interrogat Reum, vel Juramentum eidem defert; ergo tenetur tunc veritatem dicere. Confirmatur: In eo Casu habet Judex Jus elicendi Veritatem ob Bonum Publicum: igitur si Reus eam occultet, facit contra Jus, & Authoritatem Judicis, & illi irrogat injuriam per se gravem. Dixi 1. *Esse peccatum ex genere suo mortale*, non vero simpliciter; nam Obligatio hæc admittit levitatem materiae: & hinc si Reus citra Juramentum mentiatur circa aliquam facti Circumstantiam, a quo Substantia, & Status Causa non pendet, non peccat mortaliter; qui a censure esse in materia parva. Dixi 2. *A suo Judice*, nam Obligationem dicendi Veritatem, extra Contractum, non potest imponere, nisi Superior proprius, cuius Jurisdictionis subest: atque hinc si Clericus trahatur ad Judicium Seculare, non tenetur veritatem dicere, quia Judex Secularis non est Judex competens Clerici. Dixi 3. *Juridice, eu servato Ordine Ju ris*. Potest autem, & debet, ut Less. l. cit. num. 8.

adver-

adverit, Juridice, & servato ordine Juris interrogare 1. Si præcessit infamia, & hæc per duos Testes omni exceptione maiores probetur. 2. Si suppetant judicia expressa similiter comprobata. 3. Cum habetur semiplena probatio criminis: ubi notandum, et si alia semiplena probatio criminis fiat per unum Testem juratum omni exceptione maiorem, ad interrogandum tamen juridice non sufficit, nisi conjuncta si cum formalis accusatione, vel cum eo, quod vicem accusationis supplet, ut sunt notorium delicti, fama de authore, & denuntiatio juridica.

8. **DICENDUM 2.** Quando reus vel non à judice suo, vel à suo quidem, sed non juridice, & servato ordine Juris interrogatur, per se loquendo, non tenetur veritatem faceri. Ita

Less. l. 2. de Just. c. 31. dub. 3. num. 10. Sanch. l. 3. c. 6. n. 26. & seqq. Pal. de Juram. D. 1. p. 7. num. 4. & 5. & apud Nav. Henr. Sayr. Az. Ledesm. Philarc. Bann. Salon. &c.

Ratio est, quia quando iudex non procedit juridice, non potest reo obligationem imponere ad aperiendum crimen, vel jurandum, cum Jus hanc ei potestatem non concedat. Igitur reus non tenebitur respondere ad ejus mentem, & jurare. Dixi *per se loquendo*; nam quando interrogatio Judicis, vel Superioris non tendit ad poenam criminis, sed ad impediendum peccatum, teneatur subditus fateri veritatem etiam de occulis, & etiæ nulla præcesserit infamia, vel indicia, aut semiplena probatio, vel certe debet abstinere ab eo, in quo est peccati periculum, ut cum promovendus ad Ordines interrogatur de natalibus, de censuris, de irregularitate. &c. cum inituri Matrimonium interrogantur de impedimentis, & alii similes causæ. Ratio est, quia Superior causæ impediendi peccati Jus habet interrogandi, & subditus non habet justam causam celandi veritatem, cum non possit in tali casu sine gravi peccato cum talibus impedimentis Ordines suscipere, aut Matrimonium contrahere, cum ad hoc contrahendum cogatur aliqua vi extrinseca. Ex data conclusione colligit Lessius, non teneri reum respondere Judici, quando es interrogat de crimine occulto; nam ut reo possit imponi obligatio à judice ad fatendum crimen; requiritur, ut aliquo dictorum modorum sit deductum ad notitiam publicam, ita ut reo non suppetat probabilis ratio celandi, & se defendendi. Atqui quædum Crimen adhuc occultum, reus potest adhuc celare crimen, & se defendere, rejicendo onus probandi Crimen in Accusatore, vel Delatorem: ergo &c. Idem extendit Lessius l. cit. etiam ad eum, qui dubitat, an juridice interroget Judex; quia nemo tenetur parere Superiori cum gravi suo, vel alterius incommodo; nisi constet, quod is legitime præcipiat, & habeat autho-

ritatem obligandi: Atqui quædum dubium vere est, an Juridice interroget judex, nondum constat, quod is præcipiat legitimè, per hoc enim præcipit legitimè, quod interrogat reum legitimè.

DICENDUM 3. Quando reus non tenetur fateri veritatem Judici, potest uti amphibologiæ, & quidem si juramentum petatur à Judice, etiam cum Juramento. Ita AA. cit. pro priore conclusione contra Sotum, Cordub. Arragon. qui dicunt, eo causa fieri perjurium, & peccari mortaliter. Nituntur 1. Quia ponamus aliquem interrogatum de Crimine occulto, quod fecit, dicere: *non feci istud delictum*, eo casu contradictoria hujus, *feci istud delictum*, vera est. Igitur altera negativa necessario falsa est. Sed Juramentum affirmans falsum, perjurium est: ergo &c. 2. Si verba hæc non continerent mendacium, nulla verba contineat id possent; contradictoria enim sibi maximè opponuntur. 3. Verba, ne Mendacium sint, debent significare rem, ut est. Hoc non significat propositione negans, cum vera est affirmativa: ergo &c. Sed his non obstantibus, tenenda est conclusionis Doctrina; si enim Amphibologia uti, esset prohibitum, tunc illud prohibitum esset, vel quia sequeretur falsum, vel quia non appetitur verum. Posterius nihil impedit; diximus enim, & posuimus casum, quo reus non tenetur fateri Crimen judici: prius non sequitur; nam Amphibologia patitur duplicum sensum, & licet in sensu magis trito vera non sit, vera tamen est in sensu minus trito, quem sensum, si vellet, audiens facile ex circumstantiis posset colligere: ergo &c. Argumenta Adversariorum non multum probant.

Ad 1. Nego, quod affirmativa, ut contradictionis sit negativa in casu Æquivocationis, debet accipi absolute, & sine limitatione; negativa enim: *Non feci istud delictum* in Mente Æquivocantis habet hunc sensum: Non feci Crimen, ut tu rogas nempe ut probabile in judicio: unde ut altera affirmativa sit huic contradictioni, cum eadem limitatione accipi debet; quo casu affirmativa erit falsa; ponitur enim Crimen occultum esse, & in judicio probari non posse.

Ad 2. Tunc reus mentitur, quando ex nulla Circumstantia verus jurantis sensus colligi potest. Atqui Judex, qui scit se interrogare judicialiter non posse de Crimine, nisi quod probari in judicio possit, in hoc se reflectendo facile colligere mentem loquentis posset, quod scilicet occultare veritatem studeat: ergo.

Ad 3. Ex circumstantiis interrogantis, & judicis ea verba patiuntur verum sensum: atque hinc, ut Sanch. Less. & Communis DD. notat, quotiescumque factum exterius contra Legem ratione alicuius Circumstantia excusat à culpa, potest interrogatus negare

se id fecisse, intelligendo de facto criminoso; nam interrogatio judicis ex circumstantia interrogantis, & judicij de eo solo factu intelligitur. Neque obstat, quod addatur juramentum; nam eti ad juramentum aequivocum major requiratur necessitas, & causa, quam ad aequivationem simplicem, simpliciter tamen non est prohibitum juramentum aequivocum, ut omnes cit. AA. docent. Unde, si adsit causa justa, ut est in judicio, ubi si recularet reus juramentum a Judice sibi delatum, non obscurè suspicione Criminis a se facti cauleret, in tali causa poterit juramentum addere. Atque hinc ad Quæstionem judico

IO.
Resolvitur
Quæstio.

DICENDUM. Consideratis circumstantiis casus Liviam coram Judice etiam cum juramento potuisse negare, quod aliquid ex hereditate Caj Mariti sui habeat ultra dicta Suppelletilia. Vel enim bona fide quingentos illos florenos accepit, vel mala fide? si bona fide, ex dictis Num. præcedente patet posse cum juramento etiam negare se aliquid subtraxisse; quia mens judicis censetur esse tantum de acceptance criminosa. Igitur modò habeat intentionem restituendi, si reperiat se errasse, negare poterit se fecisse, intelligendo cum Crimine. Si mala fide accepit, iterum patet non teneri aperire veritatem; nam secundum hactenus dicta Judici interroganti reus aperire non tenetur Crimen, quod occultum est adhuc, & pro quo nec fama, nec judicia, nec probatio semiplena stat. Atqui tale, ut ex casus circumstantiis videtur colligi, fuit crimen Liviae, quia clanculum accepit quingentos illos florenos, & ita ut non nisi suspicionem haberent ablutionis Filii, qui eam ad judicem detulerunt: ergo. &c. Neque obstat, quod convicta sit de ablatione supellectilium; nam unum crimen non statim est probatio alterius distincti criminis, nisi alia accedant indicia, qualia tamen in casu dato, ut dixi, nulla adsunt. Ergo. &c.

QUÆRITUR III.

Utrum Livia teneatur ad restitucionem quingentorum florenorum subductorum?

II. Non est dubium, quin obligaretur ad restitucionem, si mala fide hos accepisset; nam tali casu omnes convenienti obligationem restitutio facienda contrahi titulo injustæ acceptanceis, neque ab hoc furrem, vel alium injustum possessorum liberari, quod illam absumperit; vel amiserit; quia etiam destruxta, & amissa re titulus injustæ acceptancei manet. Sed ex casus circumstantiis videtur præsumi posse, in subtraktione hac quingentorum florenorum a pud Liviam intercessisse bonam fidem; putabat enim ex promissione Mariti sui seria,

& sapienter eos sibi deberi, & confirmari etiam ex eo potest, quia non subtraxit, quantum sperabat, sed dimidio minus, quod utique non fecisset, si voluisse esse infida. Antequam ad Quæstionem respondeam, generalis Doctrina præmittenda est, ex qua doctrina particularis deduci poterit. Igitur

DICO 1. Qui rem alienam bona fide possidet, bona Conscientia, & securè eandem retinet, quamdiu credit eam esse suam, at quando agnoscit illam alienam esse, ex Justitia statim illam tenetur reddere. Ita

Sayr. Clar. Reg. l. 10. rr. 2. c. 2. num. 2.

Filliuc. tr. 32. c. 4. n. 82. Sanch. l. 2.

c. 23. num. 2. Less. l. 2. de just. c. 14.

dub. 1. n. 1. Bonac. de restit. D. l. 9. 2.

p. 1. n. 3. Lay. l. 3. rr. 2. c. 3. num. 1.

Tamb. Decal. l. 8. rr. 3. c. 3. num. 2.

Cotton. Contr. 9. l. 2. c. 3. n. 76. Cal-

fian. à S. Elia. V. Restit. n. 11.

Et conveniunt in hoc DD. Ratio est, quia retinens rem alienam invito Domino peccat. Sed is, qui non restituit rem alienam, postquam cognovit illam non esse suam, invito Domino eandem retinet. Igitur nisi restituat, peccat. Dixi autem 1. *Quamdiu credit esse suam;* nam is, qui dubitat, an sua sit, tenetur inquirere, & quidem si cum dubio, an sua sit, alium, qui bona fide illam possidet, spoliavit re illa, restituere illam teneat etiam stante dubio, ut cum Communis docet uterque Sanch. Moll. Less. Rebell. &c. Et ratio est, quia cum in dubio melius sit conditio possidentis prioris, hic iniuste possessione suis spoliatur. Dixi 2. *Teneri eam statim reddere:* quod intelligendum est non de indivisibili temporis, sed quando commode fieri potest, & ita ut non cum damno Domini differatur dilatio; nam dilatione augetur datum, quod ex re ablatâ patitur Dominus. Neque excusat a restitutione, quod possessor bona fide eam aflare, vel quocunque alio emerit, & pretium, ac pecuniam suam pro ea expenderit; nam tali casu adhuc manet res aliena. Igitur restitutioni erit obnoxia, & quidem, ut ne quidem pretium liceat rei empta a Domino petere, quod possessor pro illa expedit; non enim decet, ut Dominus rem suam emat. Excusat tamen a restitutione, qui rem a se possessam præscripsit, nam præscriptione facta jam non est aliena, Republica transferente dominium rei in Possessorem bona fidei. Dixi 3. *Teneri rem illam restituere,* scilicet in individuo, si extet adhuc. Excipitur, nisi cum rebus propriis sit ita commissa, ut ab his discerni amplius nequeat; tum enim, qui ita commisit, sive sit bona, sive mala fidei possessor, aquilivit rei alienæ Dominum, ut habetur

§. si duorum. Inst. de rer. divis. l. si alieni nummi. ff. de Solut. l. si frument. ff. de rei Vindicat.

Et docent DD. Ratio est, quia eo casu non est ratio, cur hæc potius ex cumulo illo pars

pars ad Possessorem pertineat, quam altera. Igitur ne incertum sit utriusque partis dominium, ex naturali aequitate statuere Jus potuit, ut dominium acquireretur à Possessore. Contrahet tamen hic in eo eventu obligationem restituendi rem aequalem, & alter acquires Jus personale adversus ipsum, quia aequum non est, ut aliquis locupletetur cum injusto damno alterius.

12.

DICENDUM 2. Qui alienavit, vel consumpsit rem alienam, bona fide credens esse suam, non tenetur ad restitutionem, nisi in aliqua re factus sit ditior. Ita habetur

L. item veniunt. 22. §. prater hac. ff. de petenda haret. & l. sed eis. 25. ff. de donat. int. vir. & uxor. & docet communis DD. nominatim D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 6. Sylv. V. restitut. 3. q. 6. dict. 2. vers. & sexto. Armill. ibid. n. 14. Lop. 1. p. 6. 93. instruct. Nav. c. 17. n. 7. Sayr. Clav. Reg. 1. 10. c. 2. n. 4. Mol. tom. 3. D. 736. n. 2. Less. 1. 2. c. 14. dub. 1. num. 3. Sà V. restitutio. Filliuc. n. 32. c. 4. n. 86. Mald. 17. 4. de just. c. 3. dub. 1. Thom. Sanch. 1. 2. c. 23. n. 4. Joan. Sanch. Select. D. 43. n. 15. & 16. Tambur. Decal. l. 8. rr. 3. c. 3. n. 5. Lay. l. 3. tr. 2. c. 3. num. 1. Cotton. l. 2. contr. 9. c. 4. num. 106. Arsdekin tom. 2. p. 2. tr. 5. c. 14. §. 2. n. 1. & apud hos Cajet. Bann. Arragon. Salon. Angel. Asten. Maj. Covar. Sot. Rodriq. Ledef. Cordub. Rebelle. &c.

Additque Joan. Sanch. l. cit. id verum esse, et si post consumptionem constaret certò rem alienam esse. Ratio est; quia si talis teneretur ad restitutionem, maximè teneretur ratione rei accepta, sed ratione rei acceptae non tenetur, cum res accepta non extet, ut pote quæ bona fide consumpta ponitur: Ergo. Neque obstat, quod culpa sua rem amiserit, vel destruxit fuerit; nam nulla culpa quantumvis gravis, obligationem restituendi inducit, nisi sit contra Justitiam. At cum possessor bona fide existimat, rem esse suam, nullius iniustitia, sed tantum prodigalitatis reus est, si illam destruat, vel male consumat. Ergo non tenebitur restituere. Atque ita docent AA. cit. inter quos Thom. Sanch. n. 5. ait certissimum esse, nihil prorsus teneri restituere, quantumcunque culpam in ejus rei amissione, vel destructione commiserit. Dixi autem, nisi in aliqua re factus sit ditior; nam si ditior factus est ex illa re, restituere tenetur, quantum inde factus est ditior, quia ut supra dixi, aequum non est,

ut quis ex aliena re commodum ferat cum damno ipsius Domini. Excipiunt fructus meri industriales; hi enim non sunt fructus rei, & propterea restituendi non sunt, cum industria sibi soli prodesse debeat. Consequitur autem ex re aliena Locupletior factus esse, qui fructus rei habet, vel qui illos consumpsit, peperit interea suis, quos alias expendere debuisset, vel expensurus erat.

Ex his ad datam Quæstionem Responsio deduci potest. Quærebatur, an Livia teneatur ad restitutionem quingentorum floren-

13.
Revolvitus
Quæstio.

rum subductorum? Videtur illam excusare Bona fides, quam Num. 18. in illa supposedimus; nam quingentos florenos illos bona fide accepit, & licet juxta resolutionem Quæstionis 1. erraverit, & consequenter cognita hac resolutione cessaverit bona fides, tamen antea jam quingentos florenos illos bona fide consumpsit in item sibi a Filiis intentatam. Cum igitur Possessor bona fidei, si rem, quam possidet eo titulo, consumat, & amittat, ad restitutionem non teneatur, neque etiam tenebitur Livia. At longe melius, & verius per se loquendo dicendum est, eam obligari ad restitutionem. Ratio deducitur ex Conclusione precedente, quia tum solum Possessor bona fidei consumpta re ad restitutionem non obligatur, quando inde nullo modo factus est ditior. Atqui Livia ex quingentis florenis subtractis facta est ditior; quamvis enim illos in item expenderit, tamen ipsa, si hos non habuisset, debuisset in eandem item expendere alios, cum lis haec intentata non fuerit ob subtractam istam pecuniam, de qua nihil sciebat Filius, sed ob amotam supellecitem, ad quam item subtracta pecunia per accidens habebat. Dicendum igitur, per se obligari Liviā, ut restituat. Dixi per se; potest enim inde detrahere in primis dotem, si haec prius restituta non fuerit. 2. Detrahere potest portionem, quæ sibi propter obsequia ordinariis majora exhibita Marito, debetur ex justitia. 3. Probabiliter subtrahere etiam potest portionem, quæ ob item contingebat Filios, & quam ipsa solvit; quia licet ad expensas damnata a Judice sit, tamen lex illa penaliter videtur solummodo esse, & consequenter compensationem faciat non excludit. Unde probabile solum est eam obligari solum ad dimidium, nempe ad ducentos quinquaginta florenos, quæ portio videlicet ipsam contingebat: ceterum ut restituat, querere occasionem, & modum commodum potest, ut hoc fiat sine sua infamia.

CON-